


760218





G. VIII. 23







Vera Effigies Imaginis S. Ioannis Capistrani, quæ in Ecclesia Fratrum Minorum Loci Nativi piè à Fidelibus colitur.

*Binder Sc. Bud. ce.*

TENTAMEN  
PUBLICUM

EX

METAPHYSICA, ET GEOMETRIA PURA.

DIVO JOANNI A CAPISTRANO

PROVINCIAE EJUSDEM NOMINIS

PATRONO

DICATUM.

QUOD

IUXTA PRÆLECTIONES

A

P. GREGORIO PESTALICH,

AA. LL. et Philosophiæ Doctore, & actuali Lectore,  
secundo Semestri factas,

*subiverunt:*

F. ANTONIUS PERECZKY,  
F. JOSEPHUS BOGDANOVICH,  
F. MARIANUS GYURINOVICH,  
F. BRUNO TÓTH,  
F. MARCUS LEITHAUSER,

Ord. Mix. S. P. Francisci Observantium Provinciæ Capistranæ  
Alumni, & Philosophiæ Auditores.

MOHACSINI,

in Ecclesia S. Stephani Regis Hung.

Die 30. Mense Augusto Anno 1803.

---

BUDAË,

Typis Regiæ Universitatis Pestienſis.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

55 EAST LAUREL AVENUE

CHICAGO, ILL. 60637

TEL. 733-4859

1950





EX  
M E T A P H Y S I C A

*Positiones.*

I. **V**eritates necessariae pro primo principio obtinent principium Contradictionis; Contingentes autem principium *rationis sufficientis*: quod cum deducatur ex principio Contradictionis, verum esse patet. II. Datur rerum possibilitas tam *externa* in Dei Omnipotentia, quam *interna* a Deo independens. III. Essentia entis metaphysica in concordia notarum essentialium consistit; *necessaria* proinde est, *immutabilis*, et *aeterna*, sicut et attributa. — Modi e contra. IV. Essentia entis simplicis in indivisibili: compositi autem in certi generis partibus et nexu harum consistit. V. In quolibet composito dantur etiam entia simplicia, quae oriri nequeunt nisi per creationem, neque interire nisi per annihilationem. VI. Ens absoluta necessitate existens

est necessarium, contra vero ens contingens. VII. Cum nullum ens contingens in sensu *presso* sumtum, etiam in serie infinita entium contingentium alterius entis contingentis possit sufficientem existendi rationem in se continere; sequitur, ut, si exstat ens contingens, existere debeat ens necessarium infinitis perfectionibus præditum. VIII. Nihil potest esse causa efficiens sui ipsius, neque duo entia possunt se se mutuo producere. — Ens necessarium, quum ab alio non dependeat, causa efficiente caret; quidquid igitur ab alio quoquo modo dependet, causam efficientem habeat, est necesse. — Causa autem necessaria semper agit, quantum potest. IX. Causa habet respectum ad effectum, et vicissim. Hinc effectus, qui ab eadem causa necessaria eodem semper modo ad agendum expedita temporibus inæqualibus producuntur, sunt temporibus proportionales. Id ipsum fit, si effectus a duabus causis necessariis æqualibus, sed inæqualibus temporibus producantur. Si autem duæ causæ necessariae inæquales eodem tempore, aut æqualibus temporibus agant, effectus sunt ipsis causis proportionales. Quodsi ejusmodi causæ invariatae fuerint inæquales agantque temporibus inæqualibus, earum effectus sunt in ratione directa composita causarum et temporum, quibus agunt. X. Est in mundo nexus ratione temporis et spatii. XI. Essentia mundi sita est in ejusdem entibus, successivis et simultaneis,

taneis, inque modo illo, quo hæc inter se sociantur. XII. Materia mundi est a Deo ex nihilo condita, non ergo ab eodem per emanationem prodiens. XIII. Mundus ab æterno esse non potuit, neque in æternum duraturus est. XIV. Mundus hic debuit habere finem, propter quem conditus est, qui non est aliud, quam manifestatio divinarum perfectionum, seu gloria Dei externa. XV. Mundus hic est opus Dei in suo genere perfectum, omnium autem possibilium perfectissimus dici non potest, uti quidam cum Leibnitzianis autumant. XVI. In mundo possible sunt miracula, quorum auctor principalis solus Deus est. XVII. Deus in confirmationem falsæ doctrinæ miraculum facere nequit. XVIII. Existit anima humana. Hujus proprietates consistunt in cognoscendi facultate inferiori, et superiori. — Ad inferiorem pertinent vis sentiendi, imaginandi, phantasia et memoria sensitiva: ab his derivatur status vigiliarum, et somniorum. XIX. Superior animæ cognoscendi facultas, est vis intelligendi, ratiocinandi, reminiscendi, memoria intellectualis, appetitio, et aversatio rationalis. XX. Anima humana gaudet libertate tam a *Coactione*, quam a *necessitate*, seu *indifferentia*, cui nec principium rationis sufficientis Leibnitzianorum, nec actionum nostrarum æterna præscientia Dei quidpiam officit. XXI. Anima humana est substantia simplex, spiritualis, materiæ igitur expers, nec proinde ejus cogitationes

consistere possunt in motu locali. — Dissipato corpore potest existere, et cogitare, neque vires creatæ illam a suis functionibus impedire, sicut neque destruere possunt. — Deus autem postquam creasset eam, vi sapientiæ suæ tulit legem de perpetua ipsius conservatione, et de non ponendo vitæ ejus impedimento; quare anima nostra est *natura sua immortalis*, quam Deus neque per miraculum annihilare potest. XXII. In enodando commercio animæ cum corpore rationi conformius est, et experientiæ systema influxus physici *non mutui*, quam systemata *Occasionalistarum*, et *Harmoniæ præstabilitæ*. XXIII. Quod ad animas bestiarum spectat, illas facultate cognoscendi, sentiendi, imaginandi, appetitione, et aversatione sensuali, simulque memoria sensitiva gaudere ex analogia actionum deducimus. — Et licet anima bestiarum sit ens simplex, et immaterialis substantia; intellectu tamen, ratione, et libertate *indifferentiæ* est destituta. Cumque desiderium naturale perpetuam beatitatem consequendi non habeat; patet et illam pereunte corpore probabilius a Deo annihilari. Illud autem dicere, bruta esse mera automata materialia, prorsus ridiculum est, et inane. XXIV. Dei existentiam triplici argumento metaphysico probamus. 1mo ex notione entis necessarii. 2do ex existentia entis contingentis. 3tio ex communi naturæ sensu, quem etiam ex communibus gentium, et Philosophorum iudiciis elicimus.

XXV. Deus unicus est; immutabilis; æternus; materiæ expers; ens simplex; immensus; omnipotens; scientiam habens rerum omnium tam præteritarum, quam præsentium, et futurarum, cujus scientiæ ratio sufficiens et in Deo, et in rebus ipsis quærenda est. XXVI. Deus voluntate gaudet perfectissima, quæ immutabilis est, simulque ad ea, quæ extra se agit, liberrima. XXVII. Deus etiam hunc mundum assiduo conservat, et ad singulas causarum creaturarum actiones concurrat *immediate*; quin et providentia sua mundum administrat. XXVIII. Necessitas malorum, quæ in hoc mundo fiunt, tantum abest, ut cum Dei bonitate, aliisque ejus perfectionibus pugnet, ut potius ubertim manifestet. XXIX. Existere debet inter homines Religio tam *naturalis*, quam *revelata*.

EX

GEOMETRIA PURA

DE LINEIS, ET ANGULIS

*Theoremata, & Problemata.*

- I. **A**nguli contigui simul continent  $180^\circ$ . II. Anguli ad verticem oppositi æquales sunt. III. Si recta quæpiam ita insit alteri, ut duo quævis ejus puncta, æqualiter distent a duobus alterius punctis utrinque acceptis, erit hoc ipso perpendicularis. IV. Si e puncto quopiam præ-

ter

ter perpendicularem ducatur quævis alia recta,  
 ea longior erit. V. Si recta fuerit ad aliam per-  
 pendicularis, et habeat quodcunque punctum  
 æqualiter distans a duobus illius rectæ punctis  
 utrinque acceptis, omnia ejus puncta indidem  
 æqualiter distabunt. VI. Datam rectam finitam  
 bifariam, et perpendiculariter secare. VII. E  
 dato in, et extra rectam puncto perpendicula-  
 rem erigere, vel demittere. VIII. Radius circuli  
 ad tangentem est perpendicularis. Vicissim re-  
 cta, cui radius perpendiculariter insidet, tangens  
 est. IX. Chordæ æquales in eodem circulo, æqua-  
 les arcus subtendunt. X. Datæ rectæ per da-  
 tum, vel assumptum punctum parallelam ducere.  
 XI. Si per chordam circuli diametro minorem  
 ducatur recta quæpiam, et adsint duo quævis  
 ex hisce quinque 1. quod recta per centrum  
 transeat, 2. quod ad chordam perpendicularis  
 sit, 3. quod eandem, 4. quod arcum, 5. quod  
 angulum in vertice positum bifariam secet, sem-  
 per aderunt reliqua tria. XII. Ducere circulum,  
 cujus peripheria transeat per data tria puncta  
 non in directum sita. XIII. Datum circuli arcum,  
 vel angulum bifariam secare. XIV. Angulus, qui  
 fit in peripheria circuli a tangente, et a chorda,  
 habet pro mensura dimidium arcus ab eadem  
 chorda subtensi. XV. Angulus, qui fit in peri-  
 feria circuli a duabus chordis, pro mensura ha-  
 bet dimidium arcus, cui cruribus insidet. XVI.  
 Chordæ parallelæ in eodem circulo æquales  
 arcus.

arcus intercipiunt. XVII. In datæ rectæ extremo puncto perpendicularem erigere. XVIII. Ad datum in peripheria circuli punctum, tangentem ducere. XIX. E dato extra circuli peripheriam puncto tangentem ducere. XX. Angulus, qui in circuli peripheria fit a chorda, et secante, habet pro mensura semisummam arcuum a chorda, et latere producto subtensorum. XXI. Angulus, cuius vertex est extra centrum intra circuli peripheriam, habet pro mensura semisummam arcuum a lateribus productis interceptorum. XXII. Angulus, cujus vertex est extra circuli peripheriam, habet pro mensura semidifferentiam arcuum a lateribus interceptorum. XXIII. In quovis triangulo tres anguli simul continent  $180^\circ$ , seu æquivalent duobus rectis. XXIV. Si in triangulo quovis latus unum producat, angulus externus æquabitur duobus internis oppositis simul sumtis. XXV. In quovis triangulo angulo majori majus, minori minus latus opponitur: et contra. XXVI. Si in duobus triangulis, 1. duo latera una cum angulo intercepto, 2. duo anguli una cum latere intercepto, 3. omnia latera correspondentia æqualia fuerint, etiam anguli, et tota triangula æqualia sunt. XXVII. Si duo triangula inæqualia similia, seu æquiangula fuerint, minusque majori sic imponatur, ut angulo cum æquali angulo congruente, et unius latera cadant supra homologa alterius, tertium latus erit tertio parallelum,

XXVIII.

XXVIII. Si duo triangula fuerint æquicrura, et habuerint vel unum angulum æqualem, erunt hoc ipso similia, seu æquiangula. XXIX. In quavis figura quadrilatera, 1. Si latera opposita fuerint parallela, seu si figura fuerit parallelogrammum, erunt eadem æqualia. 2. Si æqualia fuerint, erunt eadem parallela. 3. Si bina opposita æqualia, et parallela fuerint, etiam alia bina æqualia, et parallela erunt. XXX. In quovis polygono summa omnium angulorum æquatur bis tot rectis, quot sunt latera, demtis quatuor. XXXI. Dato polygono regulari circum scribere. Et dato circulo polygonum regulare inscribere. XXXII. Si intra triangulum cuius lateri ducatur parallela, secabit hæc reliqua trianguli latera proportionaliter. XXXIII. Triangulorum similium latera homologa sunt proportionalia. XXXIV. Datam rectam in quotcunque partes æquales e. g. in quinque dividere. XXXV. Si in triangulo quovis angulus quispiam per rectam bifariam secetur, secabit ea latus oppositum reliquis lateribus proportionaliter. XXXVI. Datis tribus rectis, quartam proportionalem inuenire. XXXVII. Si duo triangula circa æquales angulos latera habuerint proportionalia, erunt eadem similia. XXXVIII. Segmenta chordarum se se in puncto intra circum scribentium sunt reciproce proportionalia. XXXIX. Recta perpendicularis e quovis peripheriæ circuli puncto ad diametrum demissa, est media

pro-

proportionalis inter segmenta diametri. XL. Inter  
 datas duas rectas mediam proportionalem inve-  
 nire. XLI. Si e puncto quopiam ducantur duae  
 secantes, erunt segmenta extra circulum sita inte-  
 gris secantibus reciproce proportionalia. XLII.  
 Si e puncto quopiam ducatur ad circulum una  
 secans, & altera tangens, tangens erit media  
 proportionalis inter totam secantem, et ejus  
 segmentum extra arculum situm. XLIII. Si se-  
 cans, aut recta quævis alia in puncto quopiam  
 bifariam, & in alio non bifariam secetur, erit  
 quadratum segmenti intra sectiones comprehensi  
 una cum facto partium inæqualium, æquale  
 quadrato partis dimidiæ illius rectæ bifariam se-  
 ctæ. XLIV. Si supra singula trianguli rectangu-  
 li latera construantur quadrata, erit quadratum  
 hypotenusæ æquale quadratis cathetorum simul  
 sumtis. XLV. Datam rectam media & extrema  
 ratione secare ita, ut pars major sit media pro-  
 portionalis inter totam datam rectam, et partem  
 minorem ejusdem. XLVI. Construere triangu-  
 lum æquicrurum, in quo quilibet angulus ad ba-  
 sim sit duplus anguli ad verticem. XLVII. Dato  
 circulo inscribere decagonum regulare. XLVIII.  
 Super dato latere polygonum regulare exstrue-  
 re. XLIX. Si ex vertice anguli recti in hypote-  
 nusam demittatur perpendicularum, dividet hoc  
 triangulum rectangulum in duo triangula tam  
 toti, quam sibi similia. L. Si ex figurarum simi-  
 lium, seu æquales angulos, & latera homologa

pro.

proportionalia habentium, æqualibus ac similiter positis angulis ducantur diagonales, resolventur figuræ in totidem triangula similia & vicissim.

LI. Perimetri figurarum similiarum, sunt ut duæ quævis latera homologa, seu similiter posita.

LII. Perimetri polygonorum similiarum, seu totidem laterum, sunt ut radii circulorum iisdem circumscriptorum. LIII. Peripheriæ circulorum sunt ut eorundem radii, vel diametri.

DE

## TRIGONOMETRIA

*Theoremata, & Problemata.*

I. Anguli contigui, seu bini arcus simul efficientes circuli semiperipheriam, eisdem habent sinus rectos, tangentes, et secantes. II. Sinus rectus est dimidium chordæ arcus dupli. III. Sinus rectus anguli, vel arcus  $30^\circ$ , æquatur dimidio radio. IV. Tangens anguli, vel arcus  $45^\circ$  æquatur radio. V. In quovis triangulo rectangulo si unus cathetorum sumatur pro radio, seu pro sinu toto, alter erit tangens anguli sibi oppositi. VI. In quovis triangulo generatim latera sunt ut sinus angulorum iisdem oppositorum. VII. In quovis triangulo summa datorum laterum est ad eorundem differentiam, ut tangens semisummæ angulorum iisdem oppositorum, ad tangentem semidifferentiæ eorundem.

VIII.

VIII. Si in triangulo quovis in latus maximum demittatur ex angulo opposito perpendicularum, erit latus maximum ad summam reliquorum laterum, ut eorundem differentia, ad differentiam segmentorum baseos. IX. Quadratum radii æquatur summæ quadratorum sinus recti, et cosinus. X. Idem æquatur facto e cosinu, et secante: e tangente, et cotangente. XI. Data tangente invenire secantem et sinum. XII. Datis tangentibus duorum arcuum quadrante minorum invenire tangentem arcus medii arithmetice proportionalis. XIII. Datis functionibus duorum arcuum, quorum differentia perquam exigua sit, invenire functionem cujusvis arcus intermedii. XIV. Dati cujusvis anguli functionem ope tabularum invenire. XV. Datae cuivis functioni respondentem angulum ope tabularum invenire. XVI. Triangulum rectangulum, et obliquangulum resolvere.

## DE

## SUPERFICIEBUS

*Theoremata, & Problemata.*

- I. **A**rea trapezii duo latera opposita parallela habentis æquatur semisummæ laterum parallelorum ductæ in perpendicularum inter eadem interceptum. II. Area cujusvis polygoni regularis æquatur semiperimetro ejusdem ductæ in perpendicularum e centro circuli circumscripti

scripti ad quodvis latus demissum. III. Figuram quamvis rectilineam in æquale triangulum transformare. IV. Dato cuivis parallelogrammo, triangulo, cuivis figuræ rectilinæ, et circulo æquale quadratum construere. V. Datis quotcunque quadratis unum æquale construere. VI. Dato cuivis polygono aliud simile construere. VII. Datum triangulum, vel trapezium, cujus duo latera opposita parallela sint, in quotcunque æquales partes dividere. VIII. Datum trapezium, cujus latera nulla sunt parallela, e datis in latere punctis, in partes quotcunque e. g. tres dividere. IX. Datum polygonum ex angulo in quotcunque e. g. in quatuor æquales partes dividere. X. Areæ quorumvis parallelogrammorum sunt in ratione composita basium, et altitudinum: areæ autem triangulorum sunt in ratione composita dimidiarum basium, et altitudinum. Si proinde duo parallelogramma, vel triangula æqualia fuerint, habebunt altitudines basibus reciproce proportionales, et vicissim. XI. Areæ parallelogrammorum similium sunt ut quadrata quorumvis laterum homologorum, seu similiter positorum. XII. Areæ polygonorum similium sunt ut quadrata quorumvis laterum homologorum. XIII. Si supra singula trianguli latera describantur figuræ similes, erit figura hypotenusæ æqualis figuris cathethorum simul sumtis. XIV. Si supra singula trianguli rectanguli latera tanquam diametros describantur semicirculi,  
erunt

erunt lunulæ Hyppocratis æquales triangulo  
rectangulo.

D E

S O L I D I S

*Theoremata.*

I. Summa angulorum planorum unum angulum solidum constituentium minor esse debet, 360 gradibus. II. Quinque tantum possunt haberi polyedra regularia: tria nimirum terminata triangulis æquilateris, unum quadratis, unum pentagonis regularibus. III. Superficies cujusvis prismatis seclusis basibus, est factum e perimetro baseos in prismatis altitudinem. IV. Soliditas cujusvis prismatis æquatur facto ex basi ejusdem in altitudinem. V. Superficies pyramidis rectæ truncatæ bases parallelas habentis, seclusis basibus æquatur facto e semisumma perimetrorum basium in perpendiculum inter duo latera opposita basium interceptum. — Pyramidis autem rectæ superficies demta basi æquatur facto e semiperimetro baseos in rectam e vertice ad quodvis latus baseos perpendicularem. VI. Soliditas cujusvis pyramidis est tertia pars facti ex basi in altitudinem. VII. Superficies cujusvis sphæræ æquatur facto e periphæria circuli maximi, seu eundem cum sphæra radium, et centrum habentis, in diametrum.

VIII.

VIII. Soliditas cujusvis sphaerae, æquatur tertiæ parti facti e superficie ejusdem in radium. IX. Soliditates sphaerarum sunt ut cubi radiorum, vel diametrorum. X. Soliditates prismatum, et cylindrorum sunt in ratione composita basium, et altitudinum. XI. Prismatum similium altitudines sunt ut duo quævis latera homologa basium. XII. Soliditates prismatum similium sunt ut cubi quorumlibet laterum homologorum.

O. A. M. D. G.

SYNOPSIS COLLECTANEA  
VITÆ, MORTIS, ET OPERUM  
DIVI  
JOANNIS A CAPISTRANO,  
ANTESIGNANI  
PROVINCIAE  
DE  
EJUS NOMINE DICTÆ,  
IN  
COMPENDIUM AB ALUMNO EJUSDEM PROVIN-  
CIAE VERBIS AUTHORUM, QUORUM USUM  
HABUIT, REDACTA.



---

B U D Æ,  
TYPIS REGIÆ UNIVERSITATIS PESTHANÆ.

1803.

Exemplo iustorum confirmatur fides, spes erigitur,  
nutritur charitas, deprimitur superbia, humili-  
tas custoditur, augetur devotio, & bene ope-  
randi desiderium excitatur. Petrus Blesens. su-  
per Job.

Non te moveat dicentis autoritas, nec quis, sed  
quid dicat, intendito. Seneca.



Instruenda est vita Exemplis Illustribus.

Seneca Epist. 83.

Ex Opere dicato Armando Joanni de Richelieu,  
a Patre Arturo e Monasterio Ord. Min. & ty-  
pis mandato Parisiis anno 1638.

*Biographia succincta*

VITÆ S. JOANNIS A CAPISTRANO.

Joannes Capistranus Gallus erat natione, nobili genere exortus, cujus Pater una cum Andium Duce, e Gallia in Neapolitanum Regnum profectus, illic uxorem duxit, ex qua paulo post anno 1385. prodiit ipse Beatus Joannes, sic vocatus, quia in die S. Joannis Baptistæ natus sit, cognominatus autem Capistranus ex Aprutii Opido, non longe ab Aquila Marforum Urbe, ubi est educatus. Is patre defuncto maternæ tutelæ relictus, illis, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari solet, operam dedit. Optimis educatus institutis, ob ingenii solertis acumen, & innatam memoriam, usque adeo liberalibus profecit disciplinis, ut ab omnibus inde sperare-

tur ingens seges adultæ ætatis. Expurgata ergo tyrocinii rubigine, Perusium se contulit, ubi juris utriusque scientiam decenniali studio, ita absolute fuit adeptus, ut non modo cœtaneos superaret suos, sed non videretur habere æquales: non solum studentes, sed & Doctores quoque ipsi ab ipsius orè pendere non erubescerent, quibus deinde annumeratus, Doctoratus insignia in utroque jure nactus est.

Miro modo ad Religionem seraphicam vocatus est; nam captus ab inimicis, & in carcerem trusus, dum semel pernoctaret in oratione, apparuit illi S. Franciscus blande eum consolans, & ad induendum sui Ordinis habitum exhortans. Mane facto, reperit se detonso capite, coronam clericalem in modum religiosi sibi divinitus factam gestare, quo signo confirmatus, post egressum e carcere statim Perusium regreditur, & petito habitu Ordinis Minorum, apud Conventum S. Francisci de monte juxta eam Urbem, admissus est ad Novitiatum per V. P. Beatum Marcum Bergomatem, illius Conventus Guardianum anno 30. ætatis suæ. Facta professione, perfectionis viam ita adgressus est, ut in sanctissimum virum evaserit. Hinc divinis humanisque litteris egregie eruditus, & Concionatoris oneroso honore auctus, in Ecclesia Christi tanta præfulsit prudentia ac virtute, ut in Vicarium Generalem Ultramontanæ Patrum Observantium sit delectus anno 1443. ad quod munus iterum adsumtus est anno 1449.

Unde

Unde etiam ob singularem in rebus gerendis sagacitatem a multis Summis Pontificibus Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. & Calixto III. ad diversa munia pro Ecclesia Romana obeunda adhibitus est. Inquisitor enim generalis, Concionator, Commissarius, Nuntius, & Legatus Apostolicus sæpe creatus est a Sede Apostolica; itemque Episcopus Aquilae, & Theatis electus, eam dignitatem constanti animo recusavit, ut facilius posset per universum orbem Christum annuntiare: miro etenim cum fructu animarum, & salute plurimorum, suis ferventissimis concionibus Italiam, Germaniam, Hungariam, Poloniam, Russiam, Valachiam, Austriam, Sveciam, Bavariam, Thuringiam, Saxoniam, Bohemiam, Moraviam, Galliam, &c. peragravit. Mirabile dictu, quot Regna, Provincias, & Nationes suo lumine irradiaverit. Quot millia hæreticorum, Infidelium, Judæorum, Schismaticorum, & peccatorum converterit. Quot disputationibus, scriptis, & libris aberrantes a veritate profligarit. Nam Hussitarum, Fratricellorum, & aliorum hæreticorum acerrimus impugnator fuit. At desine mirari Lector! si tantillum spectes; quæ Omnipotens per servum suum operari dignabatur; quia in ipso gloriari sibi complacbat. Taceo admirandas eius virtutes: veniam ad visiones & dona supereffluentia Dei. Spiritu etenim prophetico abundantissime cumulatus erat, dono orationis, & intelligentiæ pollebat, gratia miraculorum insuper admirabilis erat;

nam

nam tot ac tanta edidit miracula sive mortuus, sive vivus, ut verum fatear, numerum eorum præingenti multitudine non potuerim investigare.

Hinc Principes, Duces, Reges, ac Cæsares, Episcopi, Archipræsules, Cardinales, & Summi Pontifices illum maximo in honore habebant, apud quos vir Dei non solum res Ecclesiasticas admodum promovit; sed & quæ erant sui Ordinis, valde propagavit; defensionem enim S. Bernardini Senensis (cujus nonnunquam amantissimus exstiterat discipulus ac socius) suscepit adversus illius, sed magis Nominis Jesu gloriæ criticos, quorum ora reddidit oppilata. Idem officium præstitit familiæ Observantiæ, a quibusdam zoilis male habitæ, qua de re exstat insignis illa Æneæ Silvii, Senensis Episcopi, apud Cæsarem Legati Apostolici, postea vero Summi Pontificis Pii II. vocati, Epistola 412. Dominico Cardinali Firmano directa, quæ incipit: *Quamvis scribente Cæsare &c.* sub datum ex Nova Civitate 21. Januarii. Ea enim testatur, Imperatorem scripsisse ad Summum Pontificem pro tuitione hujusmodi Reformationis P.P. Observantium, quos & illi maximo affectu commendat, hac inductus inter alias ratione: *Scimus, quantum sub Bernardino Senensi, jam supernæ Hierusalem Cive, hæc Religio Ecclesiæ Catholicæ profuerit, quantumque modo sub P. Joanne Capistrano utilitatis adtulerit &c.* Deinde circa finem: *Mihi profecto non videtur expediens Romanum Pontificem hanc familiam contristare debere.* Et quoniam

*niam tua Dignatio veritati favere, ac divertere scandala pro sua virili consuevit, præsumpsi hæc tibi scribere. Intelliges ex litteris Cæsaris animum, eis utile cenſeo providere. Frater Joannes homo Dei est, populi Germanicæ quasi prophetam eum habent: posset, cum vellet, elevato digito magnam turbam facere, sentio ex his, qui penes eum sunt, ægre sibi esse, quod de Bulla Eugenii fertur; sed homo sapiens spem vultu simulat, premit altum corde dolorem. Quamvis sciam constantiam eius immobilem, neque timendum esse, qua semper Apostolicæ Sedis dignitatem, & eminentiam prædicavit, retrocedere linguam: decet tamen Summi Pontificis providentiam his benefacere, eosque consolari, qui de Romana Ecclesia sunt bene meriti, qualem esse hunc Joannem cum suis Fratribus nemo, qui sapiat, inficias ibit.*

Mirabilis autem Deus in Sanctis suis. Servum suum B. Joannem tot ac tantis signis & prodigiis tum in vita, tum post mortem mirificat; ut propterea eius Canonizatio a Sede Apostolica continuo petita sit. Nam ad tactu fimbriæ vestimenti eius, habitus, tunicæ, mantelli, baculi, pileoli, sandaliorum, &c. stupenda miracula contigerunt. Horum complura testibus adhibitis approbata referunt Speculum Fratrum Minorum, & Marcus Ulyssiponenſis 3. parte Chronic. Ord. Min. lib. Ep. 18. 19. & 20. aliique. Sed iis omiſſis, proferam ea solummodo, quæ ex pervetusto Codice M. S. adſervato in Bibliotheca Parisina titulum præferente: *Miracula Fratris Joannis de*

Capistrano ; sub hoc Nro. 2357. 83. estque in Octavo, cujus tale initium habetur. (\*) *Noverint Universi, ad quos praesentia scripta pervenerint : Quatenus Nos Judex, & Jurati Civitatis Huilak, ac etiam Cives ejusdem, sub felici Dominio, & protectione Magnifici Domini nostri D. Nicolai de Huilak, Vajvodae Transilvaniae constituti, notum facimus, & testamur : quod beatæ memoriae olim Venerabilis Pater Fr. Joannes de Capistrano Italicus, Ordinis Observantiae Fratrum Minorum, post multa & strenua opera ab eodem per diversas mundi partes perpetrata ; post multa suorum laborum merita, post praedicationem cruciatæ in hoc Regno Hungariae ; post debellationem Turcorum Nandoralbenſi Castro divinitus factam, ipso Cruce signatorum Capitaneo ac Ductore, cum vexillo Crucis, & cum acclamatione Sanctissimi Nominis JESU, assistente ei bonæ memoriæ Magnifico Domino, & Illustrissimo Principe D. Joanne de Huniad, olim Gubernatore Hungariae, & vero fidei Catholicae protectore, in praedicta Civitate apud nos immeritos, ex hac vita plenus meritis, Cruce signatus, ac gloriosus, feliciter migravit ad Caelum, ibique requiescit in Ecclesia S. Mariae apud Fratres de Observantia ejusdem Ordinis, quos ipse, talia sibi divino spiritu revelante, praevidens, illic ante ipsius obitum introduxerat. Obiit autem anno Domini 1456. die Octobr. 23. hora vero 21. diei Sabbathi, Pontificatus Sanctissimi*

(\*) Ex Arturo ad verbum desumptum. Fuit hic Codex signatus eo numero, dum adhuc dicebatur Libraria Regis Christianissimi Galliae.

mi Domini Calixti Papæ III. anno I. Legato vero Germaniæ, & Hungariæ Reverendissimo Domino D. Joanne Cardinali Sancti Angeli; Regnante Hungariæ, Boemiæque, &c. Ladislao Rege. Quod autem prædictus Vir Domini apud nos quiescere voluit, non nisi divinitus factum arbitramur. Nam cum hæc Civitas Turcorum feritati vicina existat, sitque Schismaticis & Patarenis undique vallata, dignatus est Omnipotens Deus illic Servum suum constituere, ac locare, ubi sicut vivens fuit infidelium persecutor, & Turcorum debellator, ita eorumdem mortuus sit perpetuus terror. Nos autem tantam in eum devotionem, & devotam fiduciam habemus, ut propter eum nihil ab infidelibus timeamus. Nam cum superioribus diebus tota patria spoliata rebus, & personis, & igne consumpta, ad nostram Civitatem Turci devenerint, invenirentque nos dispersos propter vindemias, nihil nobis nocere potuerunt, sed Civitate intacta dimissa, timidi ad sua fugientes redierunt. Quod non nisi meritis, & intercessionibus istius Beati Viri Fratris Joannis adscribendum putamus. Post cujus felicem transitum, illico ante tumulationem apparere cæperunt miracula, ad quæ non solum universa Civitas nostra cum adjacentibus partibus commota est, sed a remotis confluebant populi ad ejus sepulchrum, & adeo cætervatim, ut non ad ipsum Beatum, sed ad alterum Apostolum currere viderentur. Nos autem talia videntes, considerantesque continuum populorum concursum, & miram signorum coruscationem, certificati de hujus viri sanctitate, post annum cum dimidio,

midio, multis interea neglectis, scribendum ac notandum duximus miracula, quæ postmodum ad intercessionem, & merita ipsius Beati fierent: Ne tam a Deo, quam ab hominibus de tam solempni dono, fidei Christianæ collato, ut ingrati notaremur. Deputavimus igitur nos Cives, de mandato & voluntate egregiorum virorum, Vicebanorum Marchionensium, & Judicis Curie, vices prædicti Magnifici Domini nostri D. Nicolai gerentium, aliquos Cives bonæ famæ & conscientie, bonique testimonii, super auditione & examinatione ac testificatione miraculorum futurorum, dantes eis omnimodam facultatem tam ex parte Curie, quam Civitatis, & illam auctoritatem super examinandis, quam tam Curia, quam Civitas dare potest. Hi autem sunt: Guido Italicus de Aretio, Notarius & Civis in Huilak, Michaël Gaphar, mercator & litteratus, & Bartholomæus Arcupa, sive Arcuum Magister, qui diligenter jussa complentes, ut inquisita veritate, cum juramento firmato, multis adhibitis testibus miracula, quæ obvenerunt, & quæ usque in hodiernum diem ad ipsius Beati Viri merita fiunt, conscripserunt, & scribunt.

Multa sunt, de quibus propter nimiam confluentiam populorum, nulla ad eos notitia pervenit; quæ si omnia tam studiose neglecta, quam illa, quæ sciri non possunt, notarem, magna de isto Beato Viro fierent miraculorum volumina. Hæc autem pauca scripta sunt, ut unusquisque de sanctitate famuli Domini certior fiat, & in fide cum operibus justitiam seminans, sciat sibi mercedem fidelem apud Deum repositam. Et quia pro augmento Christianæ

*næ Religionis, pro debito honore ipsius Viri Dei, ac etiam pro communi devotione populorum, nec non pro magnificentia istius Regni Hungariæ, excellentia Domini N. prælibati, una cum assistentia Serenissimi Principis, & Excellentissimi Domini, D. Mathiæ, Dei Gratia Regis Hungariæ, &c. ac etiam aliorum Reverendissimorum Prælatorum, & Magnificorum Dominorum, & Baronum istius Regni, intendit promovere, ac petere Canonizationem apud Romanum Summum Pontificem, ut digne honoretur ipse Beatus in terris, sicut scimus certitudinaliter exaltatum in Cælis. Rogamus omnes & obsecramus in Domino Jesu Christo, tam Prælatos Ecclesiasticos, quam Principes & Rectores Civitatum; ut una nobiscum pro posse velint, huic tam sancto, tam communi, tamque debito negotio, eo favorabilius insistere, quo clarius ac diutius ipsius Viri Dei sanctimoniam vitæ noverunt, & quo Sedi Apostolicæ propinquius existunt, ut suo honore quæsito & assecuto in terris, simul cum ipso sua intercessione, post hujus vitæ terminum exaltari mereamur in Cælis.*

*Scribuntur itaque hujusmodi miracula per nos sigillanda, & ad vestras devotiones dirigenda, ac eis præstanda, testibus per nos deputatis, & aliis, ac etiam juramento munita, quæ sic incipiunt: Late inibi describuntur B. Joannis Capistrani intercessione: paralytici, cæci, surdi, contracti, rupti, muti, claudi, dæmoniaci, carcerati, parturientes, amentes, hydropici, frenetici, patientes lævissima ulcera: a gravissimis infirmitatibus, a morbo pestilentico, ab apostemate, a fluxu sanguinis, a morbo caduco, a diuturnis febribus fanati,*

nati, & liberati; quamplures mortui suscitati; postea additur: *Præscripta miracula congregati Civives supradictæ Civitatis Huilak, ad sonitum majoris campanæ, viderunt, sigillaverunt: ut supra & litteras confecerunt cum pendenti sigillo Communitatis, qui Civives fuerunt in magno numero: videlicet Judex, & XXXIII. de potioribus Civitatis, anno Domini 1460. die 21. Aprilis. Quæ autem inferius sequuntur, post sigillationem præsuppositam, rite ut scripta sunt, annotata fuerunt cum omni diligentia, adhibitis dignissimis testibus, & iuramentis. Pergit autem ea alia miracula enarrare, ac notare copiose, eodem anno 1460. die 22. 23. 24. & 25. Aprilis.*

Nihilominus ob maxima, urgentiaque bella, & negotia hujus Beati Viri canonizatio a Sede Apostolica in aliud tempus prorogata est: interim vero concessum a Romano Pontifice, illum Beatum invocare, colere, ac venerari, nec non Officium & Missam de eo dici ac celebrari Prælati, & Religiosis in tota Diocesi Sulmonensi, nec non apud Capistranum suæ Nativitatis locum, ubi magnificentissima Capella in ejus honorem exstructa est. Tandem anno 1622. die 10. Septembris Summus Pontifex Gregorius XV. per suum Breve, quod incipit: *Domini Nostri Jesu Christi &c.* extendit, & ampliavit concessionem Leonis X. Papæ, elargiens: ut in toto Ordine Seraphico celebraretur festum ipsius B. Joannis de Capistrano sub ritu Commun. Confess. non Pontif. die 23. Octobr. quod Neapoli publicatum est, ut constat ex Typographia Jo-

annis Dominici Roncaliolt, anno 1626. postea Officium proprium de eo compositum fuit, & Provinciali Capitulo Provinciæ S. Dionysii in Francia anno 1629. celebrato oblatum; quod incipit *Virtutum insignia* &c. nusquam autem in usum publicum productum fuisse invenio.

Ex Opere Patris Matthæi Raderi S. J. intitulo, Bavaria sancta, & pia TOM. I. pag. 303.

**I**llustravit hoc quoque sidus Joannes Capistranus Germanicam terram, & in hac Ratisbonam, & Augustam, a Nicolao V. Calisto III. in Pannonnias, & hasce nostras regiones allegatus. Cognomen tulit a patrio solo Capistrano Aprutii Oppido. Duabus maxime rebus ævo suo plerosque omnes mortales præstabat, excellenti Doctrina: fuit enim omnis juris divini ac humani consultissimus, & vitæ morumque innocentia cum admirabili ardore rerum divinarum conjuncta, quam & miranda ejus opera extra & supra naturam perpetrata attestantur. Magistro vitæ & disciplinæ usus est S. Bernardino, a quo cœlestes sapientiæ fontes hausit. In sanctissimo Florentinorum Patrum confessu velut sol quidam Ecclesiæ effulsit, & in æde principe ad Ecclesiasticos Ordines e superiore loco verba fecit, volumenque, quod Speculum Clericorum inscripsit, in memorias hominum dedit, quod hodieque teritur, ac deinceps aliis atque aliis ingenii monumentis, quæ sacri juris scriptoribus sunt inserta,

orbem terrarum illustravit. Quatuor Pontificibus Summis gratissimus, Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. Callisto III. Demum in Hungariam legatus ad Taurunum, seu Belgradum victoriam precibus, & militum adhortatione Turcis non semel extorsit. Viennæ populi mores correxit, apud Moravos, Bohemosque Hussitarum hæresim & vim coercuit, magnumque numerum ad Romani Pontificis auctoritatem traduxit. In superiore Germania pleraque omnia oppida Concionibus per interpretem adjuvit, quo tempore etiam Ratisbonæ Cathedram ascendit, & usitato sibi ardore populum ad æternæ vitæ spem erexit. Lapsam etiam suæ familiæ disciplinam ad primam pietatem revocavit. Erit operæ pretium, unius & alterius scriptoris fidei causa verba subdere, ut, qui vir Capistranus fuerit, ex aliorum quoque auctoritate intelligatur.

Æneas Silvius illustris historiarum scriptor Pius postea II. P. M. de Tauruni obsidione hæc de Capistrano in Historia Bohemica c. 65. *Joannes Capistranus Ordinis Minorum professor, vitæ sanctimoniam clarus, ea tempestate Hungaros in arma publicis sermonibus excitabat. Qui ubi appropinquare Turcas accepit, nihil moratus in Albam se contulit, haud parvam Cruce signatorum manum adducens. Describit dein oppugnationem Urbis, virtutem Capistrani & Huniadis, demum concludit: Felices animæ, quibus tam claro peracto prælio, tanto populorum favore quæsito ægra relinquere corpora datum est! Nam paulo post Capistranus extinctus est, cujus tamen*

tamen notavit studium gloriæ, cum scripsit. *Spreverat Capistranus seculi pompas, fugerat delicias, calcaverat avaritiam, libidinem subegerat, contemnere gloriam non potuit.* Hoc notavit Silvius in Capi-  
 strano, quod in descriptione pugnæ ad Tauru-  
 num nullam ipsius fecerit Cardinalis Legati,  
 nullam Huniadis mentionem, sed Deo quidem  
 auctori in acceptis retulerit, sua tamen opera  
 omnia gesta esse affirmavit. Idem fere de eo-  
 dem in sua de Europa c. 8. historia tradit. Sed  
 enim nec Huniades Capistranum laudat in ejus-  
 dem prælii enarratione, uterque Deo laudem  
 gratulatus. Huniades dum parta victoria fuisset,  
 ad mœnia Belgradi prælio non interfuit,  
 hinc ejus meminisse non potuit Capistranus. De  
 Legato autem Pontificio Card. Joanne Firmano  
 tunc Budæ agente, in tertia epistola ad Calixtum  
 III. S. Pontificem data, honorifice & reveren-  
 ter agit. Tribus litteris rem gestam narravit  
 Calixto Capistranus, primas, & tertias exhibet  
 Waddingus Tom. XII. suorum annalium, secun-  
 dæ perierunt. Quantæ autem humilitatis fuerit,  
 & quam alienus a vana gloria Capistranus, fa-  
 tis liquet ex epistola, ut ipse scribit ex *Chana-  
 dio Hungariæ Civitate 18. Septembr. 1455. ad  
 Cardinal. Firmanum, referente Waddingo ad  
 hunc annum Tom. XII. editionis secundæ: Ad-  
 do, quod si qui sunt detractores adversum me, quid-  
 quid sinistri de me referunt, adhibeatis credulam au-  
 dacter fidem: boni autem ex me nihil, nisi quantum ex  
 vacuo instrumento clementia Salvatoris dignabitur*  
 ope-

*operari.* Sugillat etiam hanc vanam gloriam in Capistrano Baptista Fulgofus, (\*) sed insigniter hominis subleſtam fidem caſtigavit Waddingus ad annum 1456. demonſtrans: quam jactabunde de ſe ipſo gloriatur, quo turpius ipſe in hunc lapidem impegit.

Prætermiſſa facio, quibus Gonzaga (\*\*) pluribus locis Capistranum commendat in Argentina Provincia, ſed maxime in Auſtriaca. Non commemoro, quæ Bonfinius Decad. 3. Lib. 8vo. & alii authores, quorum plures extitere oculati teſtes & coætanei, atque ſynchroni: nec ea, quæ S. Antoninus parte Historiarum tit. 22. c. 14. Jacobus Bergomas Lib. 15. ſupplementi Chronic. ad annum 1454. Nicolaus Cufanus S. R. E. Cardinalis Epiſtola ad Bohemos; Albertus Krantzius Lib. 11. Saxonix c. 35. & 36. & Lib. 11. Metropol. c. 30. ut videre eſt apud Caſimirum Oudinum, ſcribit: *Joannes in Germaniam deſcendit, prædicans magno zelo Verbum Dei in Auſtria, Bavaria, Svevia, Thuringia, & Saxonia. Nam in Civitate Magdeburgenſi, in novo foro, maxima ad illum confluente multitudine, cum eſſet Lingux Germanicæ non gnarus latine prædicabat Latinis in tertiam horam, populo ſolis geſtibus ejus, quos ante non viderat, ſatis vehementer commoto, moti ſunt omnes, & uſque adeo permoti, ut feminæ abuſum in ornatu,*  
viri

(\*) Italico ſermone conſcripſit: Valerium Maximum imitatus, de factis, & dictis memorabilibus Lib. IX. quos latinitate donavit Camilius Gilinus & Baſileæ 1541. typis vulgavit.

(\*\*) De Origine Seraphicæ Religionis part. 1.

*virī ludos, quibus tempora perdunt, Schaccorum, aliarumque rerum in unum contulerint, & eodem loco, igne sub dio cremarunt.* Floruit Albertus Krantzius eodem seculo, quo Capisiranus. Plura habet Dlugoffus de rebus Poloniæ, Possevinus in apparatu sacro. Nigronius passim in explicat. Regularum S. J. Bellarminus Tom. 7. de Scriptoribus Ecclesiæ. Bzovius Tom. 17. Annal. Ecclesiast. ad annum 1460. §. 14. & 15. Dubravius Lib. 29. hist. Bohem. & præter hos 60. & ultra, quos Arturus in suo Martyrologio recenset, non ultimi subsellii Authores referunt, de de virtutibus & doctrina S. Joann. a Capistrano. Subscribam solum pauca de ejus obitu ex Epist. ad Æneam Silvium a Capistrani Sodalibus data anno 1457. ex M. S. Conventus Monacensis exscripta a Radero S. J. post exordium Epistolæ hæc subduntur: (\*) *Non enim fert tempus, non sinunt occupationes, non patitur longa series pigritanti calamo breviter explicare, quibus, quot, quantisque laboribus prædictum Patrem nostrum suscitaverit ardens pro fide desiderium, immensus pro Christiana Religione zelus, totiusque fidei Orthodoxæ profectus, posteaquam & R. D. Legatus, & S. Dominus noster sibi Crucem in hostes Crucis prædicandam commisere. Tot enim suis vehementibus prædicationibus contra Christi hostes evigilavit dormientes, ut sola hac proclamatione, in omnes fere diffusa, plerique hominum*  
ad

---

(\*) Refert hoc ipsum M. S. ex Radero Waddingus Tom. XII. fol. 403.

ad sumendam Crucem convolarent, quodam divino incitati præfagio. Ecce dum res magis magisque fervet, impetit Castellum Nandoralbam, Ungariæ Regni Clavem, nefandissimus Turcorum Imperator, magno exercitu, incredibilibusque bellicis rebus munitus, ut eo potito facilis ad ceteras orbis partes aditus sibi pateret. Commune Christianæ Religionis & Reipublicæ excidium considerans, timensque salutem populi Dei præfatus Pater noster, vitam penitus exposuit pro tuendo Christi Jesu nomine, quam sæpissime publice denuntians populis: utinam, inquit, omnis ruina, omneque infortunium Christianis imminens super me caderet, & periculo capitis mei humanum genus, Christum Jesum in veritate sequens, salvum fieret. Exilii irrevocabilis ad Martyrium spirans gentium periculis obviaturus, currit, clamat, vocat ad opem ferendam. Hos enim præsentia commonet, illos litteris advocat, hos denique nunciis admonet, ne in discrimine tanto deficiant. Non eum æstus, non solis ardores, non tenebræ, non fames, non sitis, non somnus, non senectus, non debilitas, non amicorum suasio, a continuis discursibus, celerrimisque revocarunt usquam. Ad Castrum tandem multitudinem gentium congregavit, ubi adversus hostes priorum cum tribus turmis egrediebatur, optans ibidem palmam Martyrii prorsus consequi, quam diu quæsit. At protector clemens Deus noster famulum suum protexit, hinc a circumstantibus sagittis, inde ab emissis jaculis, illinc a stridentibus machinis, isthinc denique a variis bellorum telis in Christianorum necem excussis. Attende, quæso, P. R. quis ejus animi fervor fuerit. Etenim cum sæpissime a sociis interPELLARETUR, ne in

mortem rueret, inter inimicorum cuneos ad hanc rem aiebat: Utinam hic pro Christo moriar. Quicumque, inquit, propter Christum Jesum mori parati sunt, me sequantur. Post crebras tandem congressiones, post acerbam utrinque stragem, post Castri diruptionem ad invocationem Nominis Jesu, ac ob preces servorum suorum divina pietas Christianis victoriam (Turcisque conflictum) cœlitus procul dubio est dignata donare. Prostratis demum, tergaque vertentibus Turcis (in M. S. Teuctis) in Nandoralba pater ipse moram traxit, ubi divina visitatione morbo ægrotare cœpit. Febribus videlicet quotidianis, & irrevocabili corporis fluxu. Voluit siquidem ipse Deus optimus, ut breve sanguinis Martyrium, quod maximopere cupierat, effugeret, & diuturnis ægrotationibus tanquam aurum in fornace purgandus probaretur. Quidnam dicam. Sustulit eum forti animo languidum, attenuatum, & exile corpusculum usque ad XXIII. Octobris diem varia languorum genera, laudans, semper benedicens & glorificans Deum, qui ob demerita mea, inquiens me pie, longe minus, quam mereor, cedit. Angebat siquidem illum continua febris, insanibilis fluxus (\*) moroydarum gravedo, lapilli, & arenarum passio, gravis dolor, femorumque fractura, ut miserando Dei servo probe præcinuisset Vates Maro:

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi  
 Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,  
 Et labor, & diræ subit inclementia mortis

b 2

Lan-

---

(\*) Hæmorhoidum.

Languēbat igitur corpore, at spiritu, & divina illu-  
 stratione vigebat. Qui etiam ægrotans in Castris  
 aut in bello mori penitus affectabat. Cognoscens  
 denique nonnunquam divino prorsus oraculo hac eadē  
 infirmitate oportere ipsam, obdormire in Domi-  
 no, sæpius Confessionibus invigilabat, sanctissi-  
 mam suspirans ab imo pectore, lachrimansque su-  
 mebat Eucharistiam. Non in strato aut mollibus,  
 sed in pavimento jacens. Postremoque sacra perungi  
 unctione voluit, animamque Deo omnibus cum Cæ-  
 remoniis, ac debitis solemnitatibus commendari, læ-  
 tus & sensu vividus usque ad extremum perseverans  
 spiritum. Adeo enim vigebat in languido corpuscu-  
 lo vivax sensus, ut penitus intentus devotis lectio-  
 nibus ad animæ commendationem errantem in le-  
 gendo sacerdotem sæpenumero emandaret, ac nobis-  
 cum semper elevatis ac plaudentibus manibus respon-  
 deret, sancta Maria ora pro me, sancte Michaël  
 ora pro me &c. devoto magnoque animo usque ad  
 finem peragens. Reddidit autem animam Creatori  
 XXIII. Octobris XXI. hora (\*) dum ad vespe-  
 ras Sabbathi pulsaretur, ita suaviter & quiete, ac  
 si studeret sopori paulatim se dare. Hic autem la-  
 chrimas abunde effundebant Fratres, laudes ejus  
 virtutesque non mediocres commemorando, agebant  
 enim: Quanto bonus hic Pater studio Ecclesiam  
 Dei tuitus est. Quam severe in hostes Ecclesiæ pro-  
 cedebat; quam laudabiliter per XL. & ultra annos  
 in

---

(\*) Ad computum horologii italici, olim & in Hungaria  
 fors usitati.

*in observantia regulari perseveravit. Quanto zelo animas Deo lucrari satagebat, XXXIX. annis verbum Dei indefesse disseminans. Quantæ gloriæ Ordini suo fuit, auxitque Ordinem. Quam mature & profunde singulas fere disciplinas tenuerit. Quanta vitæ parsimonia vixerit, quantis vigiliis, quantis orationibus, quantis studiis, quantis consiliis & divinis operibus incubuerit; Quanta gratia & divino munere claruerit; quanto fervore ad Martyrium cucurrerit; quantis denique virtutibus eum Deus optimus cum omni admiratione donaverit; Postremo quam Deo fuerit gratus, quamque hominibus acceptus, hi non desinebant prædicare. Ad Ecclesiam deinde delatum est corpus illud per dies aliquot insepultum permanens, ita clarum, jucundum, & quasi arridens, tractabile & flexibile per artus singulos, ac si gaudens viveret; quod videre illud operæ pretium erat. Commota illico omnis est Civitas, velut ad Apostolum ingenti cum devotione confluebant. Contestati sunt postea plurimi variis languoribus languentes infirmos dona Dei, & sanitatum munera per merita ipsius aut voto, aut visitatione impetrasse. In arca lignea undecunque serata et clavisibus quinque cum catenis clausa & sigillata, supra terram in Conventu nostro Observantiæ Regularis S. Mariæ de Huilak jacet, ubi magnificus Baro Nicolaus Vayvoda ornatam parat, sepultum in quadam circumclusa Capella. Hic finit M. S. Sociorum Capistrani. Mox relata scribentes ad Æneam Silvium fuere: Fr. Christophorus de Varusio, Fr. Hieronymus de Fara, Nicolaus de Fara,*

Fara, qui totam ejus vitam composuerunt, nobis desideratam. Tumulo appensum fuit, simplex quidem, & parum ex Lege Prisciani scriptum, sed sincerum (\*)

Hic tumulus servat præclara laude Joannem,  
 Gente Capistrana, fidei defensor, & auctor,  
 Ecclesiæ tutor, Christi tuba, tum Ordinis ardens  
 Fautor, in orbe decus, tum veri cultor & æqui,  
 Et vitæ speculum, doctrinæ maximus index,  
 Laudibus innumeris jam possidet astra Beatus.

Vixit annos LXX. Mens. III. Dies XXII.

Habitudinem Corporis Capistrani describit ejus socius Nicolaus de Fara: Statura recta, inquit, & *mediocris in medio consistens, vox clara, sermo purus, lingua disertus, capillo canus & barba, capite calvus, fronte crispus, vultu rubicundus, & serenus, corpore robustus, venusta facie & veneranda, longioribus brachiis ad genua usque protensis, magnarum rerum gloriosam operationem præsignantibus, ingenio acutissimus, Consilio prudens & maturus.*

Et hæc sunt B. L. quæ in Commentariis eorum Authorum, qui de vita & morte S. Joannis a Capistrano scripserunt, invenire potui, in synopsis redacta. Restat ad filum narrationis servandum, sylloge quadam complecti, Catalogum operum, a Sancto Viro factis præclaris,

(\*) Refert id, & alia acta Capistrani Joannes Tagliacotius, qui fuit Comes Capistrani, in sat proluxa epistola, data ad Jacobum de Marchia, tunc Vicarium familiæ observantium.

ris, vitæque sanctimonia, & Doctrina eminente exaratorum, in quibus prudentia in rebus decernendis, & sapientia in elucidandis utrinque elucet. Indicant hos labores litterarios Capistrani, & cum laude referunt Aubertus Miræus in Auctuario de Scriptoribus Ecclesiast. c. 467. Guilielmus Cave Scriptorum Ecclesiasticorum Tom. 2. fol. 153. edition. Oxon. Conradus Gesner in sua Bibliotheca instituta, & aucta per Josiam Simlerum Tiguri 1574. Trithemius de Scriptoribus Eccl. c. 704. Bougine Handbuch der allgemeinen Litteraturgeschichte. Tom. 1. pag. 615. & plures alii haud ultimæ notæ scriptores historiæ litterariæ, qui partim manu scripta, partim typis exscripta opera recensent, inter quos opinione mea eminent Casimirus Oudinus in suo Commentario de Scriptoribus Ecclesiæ Tom. III. p. 2400. edit. Lips. & Waddingus disserens de Scriptoribus Ord. Minorum fol. 195. in his mutuo collatis hanc seriem reperi.

De electione Papæ — Tractatum de Dignitate Ecclesiæ — Contra Hussitas Librum unum — De auctoritate Papæ, & Concilii. Scripsit doctum hoc opusculum persuadente Antonio Cæsaris Cardinali Ostiensi, Archi-Episcopo Bononiensi, dum sub Eugenio IV. acriter, & totius orbis admiratione contentio esset inter Basileenfes Patres, & Summum Pontificem, extat inter Tractatus Juris Venetiis anno 1584. edition. Tom. XIII. part. 1. pag. 31. & antea 1580. Venæ.

netiis in 4. apud Antonium Ferrarium — De Religione — De Sanguine Christi — De paupertate Christi. — De casibus Papæ reservatis — De modo & forma executionis Testamenti — De Instructione, seu directione simplicium Sacerdotum, sub alio nomine inscribitur Speculum Clericorum, seu sermo ad Clerum in Tridentina Synodo Diocesana habitus anno 1439. die 22. Apr. coram Alexandro Duce Mazoviæ Episcopo Tridentino. In tres partes divisus est, in quibus plene Clericorum dignitatem, officium, & qualitates describit. Prodiit Venetiis anno 1580. — Defensorium Tertii Ordinis a S. Francisco instituti, in quo ostendit, quam possint Magistratus, aut Principes seculares authoritatem exercere in hujus Instituti professores. Hos tres Tractatus edidit Antonius Amicius Aprutius, Capistrani Conterranæus Venetiis apud Antonium Ferrarium an. 1580. Primum dedicavit Gregorio XIII. Secundum Ferdinando Medices Card. Ord. Minor. Protectori. Tertium Joanni a Calusio Provinciæ Sancti Bernardini Ministro. — De Excommunicationibus ipso jure latis, habetur inter Tractatus Juris Tom. XIV. pag. 388. — De usu cujusunque ornatus. De ornatu mulierum. — De matrimonio per modum Consilii. Ibidem Tom. IX. pag. 77. — De Canone pœnitentia. Ibidem Tom. XIV. pag. 395. — Speculum Conscientiæ. Ibid. Tom. I. pag. 313. — Repetitiones aliquot in Jure Civili. Venetiis 1587. — De Judicio universali, & Antichristo, ac de bello spirituali. Venetiis an.

anno 1578. apud Petrum Dehuchinum.—De u-  
 furis, & contractibus, incipit: Nolite thezauri-  
 zare, prodiit Venetiis anno 1583.—De Blasphemia,  
 & Perjurio.—De Restitutionibus, & Con-  
 tractibus.—De Confessione facienda proprio Sa-  
 cerdote.—De Censuris.—De casibus, & pœnis in-  
 jungendis.—De pœnis inferni, & purgatorii.—  
 De cupiditate, & avaritia.—De Passione Domi-  
 ni, opusculum isthoc extat in Conventu Sambor-  
 ricensi in Rulsia apud PP. Observantes Ord.  
 Min. M. S. in Libro pergameni compaginis, &  
 & characteris vetusti, ita inscripto: *Ista passio  
 Domini Nostri Jesu Christi est breviter compilata a me  
 Capistrano secundum Authenticos Doctores: Thema  
 est: Quo abiit Dilectus tuus o pulcherrima mulierum, &  
 quæremus eum Tecum.* Alia etiam opuscula avide  
 versant, & diligenter custodiunt PP. Poloni Ob-  
 servantes, qui in Regno olim Poloniæ, Bernar-  
 dini vulgariter nuncupantur, utpote: de Primatu  
 Petri. De bello spirituali. De temporibus, &  
 persecutione Antichristi, atque fine mundi.—  
 De Processione Spiritus Sancti.—De Conceptio-  
 ne B. M. V.—Commentarius in Regulam Mino-  
 rum Italice scriptus adservatur Romæ.—Tracta-  
 tum contra Philippum Berbegallum, Pontificias  
 Declarationes in Regulam Minorum respuentem,  
 & novitates perniciosas in Ordinem advehen-  
 tem. Alterum contra Rokizanum de fidei veri-  
 tate; fuit Joannes Rokizan vel Rochesan hære-  
 ticorum Bohemorum fautor, qui delectus a con-  
 tribulibus suæ factionis in Archiepiscopum Pra-

gensem, Fratres Minores e sua Civitate ejecit: hinc nata occasio Capistrano scribendi litteras Regi Ladislao, ut cum Rokizano Colloquium in Religionis negotio, loco quocunque conducto, haberetur, quod sublestinus homo declinare studuit, pertimescens Capistrani eruditionem, conamine contendens, ne Capistranus Pragam veniret: auxiliarem operam præstante Georgio Podiebracio urbis Governatore: indigne id ferens Capistranus, mox nominatum libellum misit ad Regem Ladislaum. Extabat Alberstadii Tractatus, seu Concionatoriæ expositiones ejus supra illud Isaiaë c. 7. *Ecce Virgo concipiet* &c. eas retulit ex suggesto in Misnia, ex Saxonia, & typis commiserunt Joannes, & Franciscus de Rocha germani fratres. Plerique ex supradictis operibus habentur M. S. in Conventu Capistrani. Nec non sequentia.—Liber, cui titulus, Interrogationum.—Liber alter de casibus conscientiaë.—Tractatus contra Judæos, & Hæreticos.—Tractatus, cui titulus, Canones extracti e Corpore Juris.—Compendium resolutionum super totum Corpus Decretalium.—Quæstio, an omne mendacium sit peccatum?—Tractatus super Apocalypsim.—Sermones Dominicales, & Festivi.—Animadversiones circa sacrosanctum Missæ Sacrificium.—Tractatus sive sermo ad studentes. Joachimus Fellerus in Catalog. M. SS. Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, quem anno 1687. Lipsiæ in 16. edendum curavit, alia quoque non edita opuscula Joannis a Capistrano

no illic latentia profert Catalogi pag. 133. inter M. S. Codices Theologicos in 4to. Codice 45. *Joannis de Capistrano de pestilentis, & medicinis, occasione pestis, quæ in Exercitibus grafsata fuerat, opinor.*— *Joannes de Capistrano de Usuris, & Contractibus.* Catalogi pag. 230. inter M. SS. Codices Juridicos. Codice 41.—Item materia notata ex XXX. sermonibus *Joannis a Capistrano ad populum in Lipsia habitis.* Recenset adhuc alia *Possevinus Antonius Tom. I. Apparatus sacri, quæ in diversis Bibliothecis M. S. habentur, sed sunt ipsissima jam superius recensita.* Alia (ut ait *Waddingus*) tribuebat opera *Albertus Ciccarellus Capistrano, ut sunt de originibus Urbium, Civitatum, & Oppidorum totius mundi.*— *De Archiepiscopatibus, & Episcopatibus.*— *De origine Religionum militarium pro fide Jesu Christi, & Ecclesiæ Romanæ defensione.*— *De vera donatione Constantini Imperatoris.*— *De vitis Sanctorum, & rebus Ecclesiæ.* Sed hæc spuria sunt, & conficta ab insigni mendaciorum architecto, inquit *Waddingus*, qui sub *Gregorio XIII.* tot imposturas & fraudes, quibus historiam omnem vitiabat, fidemque bonorum scriptorum enervabat, pœna luebat capitali; de quo docta prodiit anno 1642. eruditissimi viri *Leonis Alaxtii animadversio.* Extant etiam *Capistrani Epistolæ multæ ad Summos Pontifices, Cardinales, Ecclesiarum Antistites, Reges, & Principes, aliasque personas, quæ in Regesto secundi Vicariatus scriptæ, Romæ servantur ( si Gallis in*  
 præ-

prædam non ceserunt) fatendum est ait Tiraboschi in sua storia della letteratura Italiana Tom. 15. plura facundi hujus viri opera latitare in M. S. Refert Mongitor in sua Bibliotheca Sicula Vol. II. Append. pag. 22. Antonium Salsa Ord. Minorum Regularis Observantiæ improbo labore viginti annorum ad initium mox elapsi seculi collegisse, notisque illustrasse opera omnia hujus Sancti Viri Tomis 17. in folio typis excubenda. Sed fors invida conatus hos anteverit, & ad manus eruditorum non devenerunt, reposita in Bibliotheca Conventus Panormitani, reor ob sumptus, quibus collector carebat.

Ingeniose albas, nunc i, ride improbe mentes,  
 Et nullum præter te sapuisse puta,  
 Illius doctas mirentur sæcula chartas  
 Miror ego salvas post tria sæcla manus.

In supplementum adjicio duas Epistolas S. Joannis a Capistrano, indigitato fonte, unde eas hausi. Nec non unam Comitis a Meggau, Legati ad Portam Ottomannicam, quam pio zelo ductus, dedit ad Balsam Budæ dominantem, pro corpore S. Joannis rehabendo, & in eodem merito Ferdinandi II. Imperatoris, præfato Comiti Constantinopolim scriptam.

Ex Codice Mellicensis Monasterii N. 13. apud R. P. Bernardum Pez, Opere Diplomatico, haud passim obvio, Epistolæ duæ memorabiles S. Joannis a Capistrano. Prima ad Universitatem Viennensem. Secunda ad Thomam de Paden Priorem Mellicensem.

Sacræ & Illustri Theologiæ Artium Universitati Viennensi Frater Joannes de Capistrano, Ordinis Minorum minimus & indignus, commendationem humilem & devotam, ac gratiam salutarem, & pacem in Domino sempiternam.

Nolo vos admirari, Clarissimi Viri, Doctores, que celeberrimi diuturnum silentium meum, quo vobiscum usus sum, postquam ex ipsa inclyta Urbe Viennensi discessi: quandoquidem nihil grave, quod scribendi ad vos causam mihi præberet necessariam, (occurrit.) Neque enim id ulla negligentia vel oblivione erga me vestri factum fuisse putetis, cum tantus sit cumulus vestrorum erga me beneficiorum, ut vestri memoriam nulla unquam possit delere oblivio. Quis enim tanta ingratitude plenus extiterit, ut tam grandi honore a vobis susceptus, possit conscientia reclamante, tantæ humanitatis & benevolentiæ oblivisci, quanta, ut apud vos essem, amplexati me fuistis, ultra quam decebat parvitatem meam? Equidem ita me Illustrissimæ vestræ Universitati perpetuo devinctum

fa-

fateor, ut semper illam sim cum honore habiturus. Cui, cum præter me habeam nihil, meipsum totum dedam, totumque tradam, quo uti valeat tanquam mancipio suo. Sed de his hactenus.

Ut Hieronymus ait, *tractant fabrilia fabri*. Igitur Clarissimi Doctores, de tuenda causa inter Bohemos & me, Catholicæ scilicet fidei nostræ, cujus tutelam cum non minus libenter quam acute protegendam susceperitis, semper omnibus postpositis magnum mihi præstant argumentum ad vos esse recurrendum, tanquam ad eos, qui non solum provocati, sed sponte hujuscemodi causam tueri minime verentur tum pro sustentanda veritate, tum quia vestrum & meum est officium, non solum causam Catholicæ fidei defendere, sed augmentare & magnificare, magnificatamque conservare.

Postquam hanc Moraviam patriam sum ingressus, Præstantissimi Magistri & Doctores, ut debui, semper pro viribus contra Bohemorum damnatas hæreses egi, neque minis, neque aliquo alio timore unquam a prædicandi officio destiti, sed palam locutus omni, quo valui, studio, ad refellendam illorum damnatam opinionem, qui dicunt necessarium esse ad salutem sub utraque specie communicare, me contuli. Quo factum est, ut non solum multi Barones, Nobiles & Sacerdotes, atque omnibus computatis ultra quam quatuor millia meis in manibus Hulsitarum errores abjuraverint, (ut sileam  
mul-

multos alios conversos, qui sub istorum Baronum conversorum dominio degunt ) sed toto Bohemiæ Regno sublevato & in rumore posito, Barones ipsi Bohemi, sub utraque specie communicantes, timentesque de populorum conversione incitaverunt, & ut verius dicam, compulerunt Magistrum Joannem Rokiczan ad habendum mecum disputationem, ut ego ab illo devictus cogar silentium imponere, aut ille a me superatus fiat illis causa salutis.

Ipse autem Rokiczanus audacia pro sapientia usus, ut se insuperabilem Baronibus redderet charumque & gratum, pridie suas ad me litteras dedit satis honestas, licet tamen meo iudicio, summo cum cordis dolore. Quarum quidem litterarum copiam cum responsivis meis pariter & nonnullas alias litteras ad me destinatas, ad suam Regiam Majestatem transmittam. Quas omnes cum instituerim ad vos esse deferendas nomine Serenissimi Regis, rogo, ut non pigeat illas perlegere, ut maturius & cautius determinationi Sux Regiæ Majestatis consulere possitis, quæ pro loco, tempore & die & personis affuturis in actu facienda est. Antea enim, quam a Joanne Rokiczan invitatus fuisset, mihi ipsi pro loci dignitate & peritissimorum pro pulchra corona ipsam inclytam Viennam delegeram, si hujuscemodi actus deberet celebrari. Sed ne ipsi Bohemi dicant me elegisse locum pro arbitrato meo, malo, ut a Serenissimo Rege locus determinetur, quam a  
me,

me, ne collationem facere reculent. Et quamquam non ignorem, hujuscemodi fidei causam determinandam fore per sanctam Romanam Ecclesiam, tamen quia alias & in Concilio Constantiensi & Basileensi determinata & decisa fuit, non incongruum visum fuit, ut pro fidei defensione & Bohemorum reductione illam viriliter aggrediamur.

Quamobrem cum hujusmodi disputatio celebranda omnino sit, me totum ad ipsam sacram vestram Universitatem convertam, illam precibus, quibus valeo, obsecrando per eam summam benevolentiam, quam erga me gerit, per pretiosissimum Christi sanguinem, per communem Bohemorum salutem, perque ea studia, quibus tanto tempore delectatur, ut determinato prius loco per Sacram Regiam Majestatem, eligere dignentur nonnullos viros peritissimos, & quam maxime in sacris litteris, ex sufficientioribus totius almi studii Viennensis, qui quidem ad locum determinandum habeant proficisci. Si Vienna eligeretur locus, nihil mihi gratius nihilque jucundius afferri poterit. Quoquo modo tamen res se habeat, victoriam de Bohemis assequi volumus Divina favente gratia, si operam dare volueritis. Comparabitis etenim laudem & gloriam immortalem apud Deum & apud homines, si rem hanc attentare minime dubitabitis. Ego autem omnem spem præter cœlestem in vobis fixi & locavi. Quos quidem tanto adjumento mihi esse, si volueritis, posse intelligo,  
ut

ut nihil sit præterea mihi requirendum. Quare si mei memorem, si me charissimum, si dignum denique vestris beneficiis judicatis, hoc a vobis peto, ut omnino huic præclaræ Collationi celebrandæ, quæ non parvum pondus habet, nonnulli ex vobis velint interesse, cum magnum & maximum decus, simulque ornamentum Illustrissimæ vestræ Universitati sitis allaturi.

Pergite itaque Præclarissimi Viri, &, ad quod vestra præclara studia vos incitant, dirigite gressus, ut vobis laudem, splendorem & præmia; mihi lætitiâ & consolationem & jucunditatem, Bohemisque universis salutem & pacem æternam afferatis.

Valeat Sacra Illustrissimæque Universitas vestra Viennensis ad gaudia sempiterna. Libellum, quem his diebus contra Bohemos edidi, ad vos alias transmittam, mitteremque nunc illum libenter, si transcribendi otium præstaretur, cum tantis (negotiis) sumus præpediti, ut vix has manu festina exarare valuerim. Valet interim, &, quid de hujusmodi collatione facienda sentiatis, nobis rescribere non sit molestum. Ex Znoyma XXIV. die Septemb. anno Domini 1451.

Totius almæ Universitatis Viennensis inutilis servus, licet Orator fidelissimus, Frater Joannes de Capistrano, Minorum minimus, & indignus, filiusque vester immeritus.

Re-

Reverendo in Christo Patri & Religioso, Venerabili Fratri Thomæ Ord. S. Benedicti, sacri Monasterii Mellicensis dignissimo Priori, mihi percolendissimo.

Venerande in Christo Pater humili cum commendatione gratiam salutarem, & pacem in Domino sempiternam, & animum ad obsequia grata paratum. Hesternæ diæ vestras suscepi litteras, quibus quæritis, an verum sit, quod fama vestras perduxit ad aures, me videlicet prædicasse, Religiosos, qui balneantur cum laicis, non domesticis, sine signo Religionis suæ, excommunicatos esse ex Canone Sexti: & quod, si ita est, velim vos informare, in quo loco Sexti præfatus contineatur Canon. &c.

Ad quod breviter quæsitum respondeo: Verum esse, me juxta prædictum Canonem & alia Canonica jura prædicasse multoties. Canon autem ille Bonifacii VIII. est intit. *Ne Clerici vel Mo. se ne femi. C. ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis, quamcunque Religionem tacite vel expresse professus, in studiis vel alibi, temere habitum Religionis suæ dimittat, nec accedat ad quævis studia litterarum, nisi a suo Prælato cum consilio sui Conventus vel majoris partis ejusdem, sibi eundi ad studium licentia primitus sit concessa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto &c.* Talis est textus. Glossa autem Joannis Andreae ita dicit: *ut periculosa, tracta fuit de Extravagan-*

*ti : Gravis & dolore non vacua. Et in verbo: quamcunque Religionem dicit Glossa : dum tamen approbatam de voto eod. Lib. Et in verbo: expresse dicit Glossa super eodem Libro de Regulis c. 1. &c. sicut in libris vestris plenius videre poteritis. Attendite tamen ad verbum: temere; super quo dicit Glossa: ex causa enim licet habitum transformare, si justa sit, puta timor supra de vi. & ho. Cler. c. Clerici.*

Idem autem Joannes Andreas in eod. c. *Ut periculosa* in Novella sua lectura dicit, quod prædicta excommunicatio ligat Religiosos balnea intrantes sine habitu in conspectu secularium personarum. Sed si occulte intrent, & sient ita, quod a secularibus non videantur, non incidunt. Ex quo etiam includitur, quod Religiosi exuentes se, id est: deponentes habitus propriæ Religionis in conspectu secularium sive in claustro, sive alibi, ut ludant ad pilas, vel similia, excommunicationem incurrunt. Idem est etiam, si causa non est urgens, ut quia vadunt ad piscandum deponentes habitum in conspectu secularium.

Archidiaconus autem in prædicto c. *ut periculosa* dicit: *licet ista constitutio attribuat* Domino Bonifacio, *tamen originaliter fuit Innocentii IV.* Et infra in verbo *temere* Archidiaconus ipse apostillat dicens: *hoc dicit, quia ex causa posset &c.* Et in verbo *habitum* dicit: *habitus Monachalis videtur esse cuculla, ut patet in eo, quod legitur & notatur 19. q. 3. mandamus. 20. q. 3. præsens. Et eadem causa in themate.* *Et supra*

pra de ceta. & quali. intelligimus. Et in verbo: dimittat dicit idem Archidiaconus: adeo habitus est annexus ossibus Monachorum, quod in quocunque loco consistentes, sive in lecto quiescentes constanter eo uti debent, ut habetur. 20. q. 1. c. vidua. Ad hæc supra de vita & hon. Cler. c. Clerici in fin. & 23. d. c. Sanctimonialis, ubi Glossa dicit: etiam in infirmitate. Et opponit Archidiaconus de cap. sine ornatu 21. q. 4. Sed idem ipse solvit, quia illud Capitulum loquitur in Clericis secularibus, qui non sunt ita adstricti, sicut Monachi. Et igitur dicit Archidiaconus, pœnam istius prohibitionis extendi etiam ad Abbatem, quia Monachorum appellatione includitur etiam & Abbas, ut in c. Mandato. de Simonia. Et probat per multa jura, ostendens etiam, quod licet Monachus dimittens habitum postea reassumat, sicut faciunt Apostatae, quamvis postea efficiatur bonæ famæ, non potest eligi in Abbatem argum. 1. q. ultra si quis omnem. Et adhuc etiam allegat multa jura.

Hoc etiam tenet Dominus Petrus de Anchirano in dicto c. ut periculosa dicens: Sed nunquid in lecto debet tenere, scilicet habitum? Respondeo: Canon sentit, quod sic 20. q. 1. c. si. dum dicit: semper. Subdit Joannes Andr. hic, scilicet in dicto c. ut periculosa in Novella: Non putat de mente hujus textus, quod Monachus in cella sua dimittens habitum, vel dum balneum intrat in occulto, vel jacens sine habitu ligetur hac constitutione, videlicet quod incidat excommunicationem, sed tunc demum,

quan;

*quando exhibet se aspectibus hominum sine habitu suae Religionis.*

Hoc etiam tenet Frater Petrus nostri Ordinis in Directorio Juris in *ti. de Ornatu Ordinis §. item honestas. Et in ti. ne Cler. vel mo. §. Sed quid si Religiosis. Et in ti. de sent. exc. §. 25.* Hoc communiter tenent moderni Doctores in Universitatibus Italiae, licet verbum *temere*, non ample declarent. Ideo dicendum secundum Papiam, *temere*, id est: praesumptuose, fatue, stulte, sine causa, sine consilio. Unde *temeritas* praesumptio, violentia, fatuitas. Et est temeritas cum inconsiderata dolorum perpessione gladiatoria periculis susceptio. Et hinc temerarius dicitur praesumptuosus, audax, qui audet audenda & non audenda.

Ad id, quod dicitis, quod insuetus est Canon apud vos, valde miror: quia in Universitatibus, ubi Canonica jura leguntur, ventilatur Capitulum: *Ut periculosa. Ne Clerico. vel Monachi Lib. VI.* Nec tamen abolitus est per antiquitatem dictus Canon, nec per contrariam consuetudinem abrogatus: quin imo talis consuetudo, quae dicenda est potius corruptela, peccatum magis aggravat; quia tanto graviora sunt peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, ut in *c. si. extra. de consuet. & in C. quanto. C. t. & extr. de Simo. C. non satis &c. se & in C. non debet de consang. & affinit. & in C. cum haberet, de eo, qui dum in ma. quam pol. per adult. ad fin.*

Est ergo remedium, ut communiter servant Religiosi de observantia per Italiam balneis indigentes ex consilio Medicorum, quod provideant sibi de levibus & antiquis habitibus vel tuniculis cum cuculla, aut occulte intrent, ita quod nudi a secularibus non videantur. Sed certe, ut mihi relatum est per eos, qui interfuerunt, quod abominabilius et impudicitius est, & a Religiosis personis tanquam pestiferum & perniciosum venenum protinus fugiendum, quod etiam mulieres indistincte, juvenes, & provectæ nudæ cum viris nudis balnea, quæ dixistis, frequentius intrant. Cujus turpitudinis abusum iudicandum vestris conscientiis sub Divino timore & salutis desiderio relinquo.

Abbas autem absolvere poterit sive Prælatus, quia absolutio a tali excommunicatione non est specialiter Sedi Apostolicæ reservata. Ergo Episcopi, & Prælati, Episcopalem jurisdictionem habentes super suos subditos, absolvere possunt, ut in *C. Imper. de sent. excomm.*

De irregularitate autem majus dubium est per ea, quæ notantur in *C. cum æterni §. sciturus de sen. & re judic. Lib. VI.* cum dicit: *damnabiliter ingressit se Divinis.* Unde dicerem, quod si scienter, & appensate in contemptum Canonis post excommunicationem, talis irregularitas non nisi auctoritate Apostolica poterit aboleri, ut in dicto *C. cum æterni.* Cautela igitur est in tali casu recurrere ad Reverendum Dominum Senensem in Nova Civitate, qui nunc auctoritate fungitur

giture Apostolica. Valet feliciter, & animadvertite diligenter, quod si non vultis pati pro sanctimonia & honestate vestra, ut mulieres, quantumcunque velatæ, & antiquæ, vestrum Clausuram ingrediantur, nedum Ecclesiam: quanto minus ergo talibus Religiosis convenit balnea nudos cum nudis mulieribus introire? Ex Vienna 1455. die ultima mensis Februarii.

Vester, si quid est,

Frater Joannes de Capistrano  
manu propria me subscripsi.

Has subsequas Epistolas liberaliter, ex Originali e M. SS. Bibliothecæ Regiæ Universitatis Pestanæ communicavit Reverendissimus Dominus Abbas B. M. V. de Tormova Stephanus Schönwifner, vir mentis, ingeniique altitudine nunquam sine honoris præfatione nominandus.

Copia Litterarum D. Comitis a Meggau ad Bassam Budensem, relevationem cadaveris B. Capistrani concernentium.

Præmissa officiorum oblatione recordabitur Illustrissima Dominatio Vestra, quatenus Sacræ Cæsareæ Majestatis, Domini mei Clementissimi, Orator ad portam Ottomanicam missus, inter reliquos Illustrissimæ Dominationi Vestræ exhibitos articulos relevationem corporis Beati Capistrani dictæ Majestatis suæ nomine officiosissime petierit. Cum vero ex ejusdem Oratoris

lit.

literis de 30. Septembris relatum sit, Illustrissimam Dominationem Vestram ad supremum Multi Constantiopolim negotium hoc pertractandum remisisse, grato quidem sua Majestas id intellexerit animo: at cum eadem in auxilio & authoritate, qua Illustrissima Dominatio Vestra in dicto maxime pollet, plurimum confidat, ea propter eam his requirere mihi clementer demandavit, ut benevola sua recommendatione apud supremum Multi, aliisque locis necessariis, dicto Oratori suo, Iatoriq̄ue harum præsentium assistere, gratisimæque suæ Majestati hac in re officia præstare velit. Quod sua Majestas vicissim Cæsarea sua benevolentia prompte prosequetur, & ego paratissimis Officiorum studiis recompenfare enitar. De reliquis Viennæ 22. Octobris Anno 1628.

Vezirio Budensi nomine Domini Comitis a Meggau. Spectabili ac Magnifico Joanni Ludovico Domino a Kueffstain, Libero Baroni Preilensstain & Spiz &c. hæreditario Cubiculario Argenti utriusque Austriæ, & inferioris Regiminis, ac Consiliario & Camerario, & ad portam Ottomanicam Ablegato, Oratori nostro &c. Fideli nobis dilecto.

Ferdinandus Secundus, Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex.

Spectabilis ac Magnifice fidelis nobis dilecte!  
Religiosi fratres Minister Provincialis fratrum  
Or-

Ordinis Sancti Francisci, eique adjunctus socius Bonaventura Kolosvári, Monasterii Soproniensis Guardianus, literas fidelitatis tuæ nobis præsentarunt, ex quibus benigne intelleximus Supremi Vezirii Budensis mentem, in venerandis reliquiis corporis Beati Joannis Capistrani levandis, hucusque in ditiones nostras asportandis; negotium nimirum istud remisisse ipsum ad Mufti, neque sibi esse facultatem plenam insciis & insalutatis ipsis concessionem facere: Quoniam itaque negotium per supremum Vezirium jam remissum est ad Mufti Constantinopolitanum, atque Ordo ipse a coepto et conatu haudquaquam desistendum esse ducit, eaque de causa rursus præfatus frater Bonaventura Kolosvári dimittitur, ut inibi confecto feliciter negotio pio hocce thesauro, et patria hæc, et sacer Ordo, qui studium commendabile ad hoc impendit, ornetur: Fidelitati vestræ iterato negotium commendamus, quatenus inibi quoque in locis necessariis, ac apud quos requiritur, studiose promovere et efficere intendas, quatenus ipse Frater Bonaventura, ad hoc peragendum Mandatarius, absque cujuspiam prohibitione & inquietatione, inuestigatum et repertum sacrum corpus Béati Viri levare, tuæque ad hæc partes asportare possit et valeat. Quam in re sollicitum tuum studium & conamen impendendum grata et benigna cum satisfactione nostra cognoscere cupimus, Gratiaque nostra Cæsarea & Regia tibi in reliquo benigne propensi manemus. Datum in Civitate nostra

Vienæ

Vienna, die vigesima quarta Octobris,  
M.DC.XXVIII.

Ferdinandus

*Laurentius Ferenczi.*

Percepta Constantinopoli 21. Dec. 1628.

Ex his Litteris quid sentiendum sit de Sacris exuviis  
S. Viri, in medium adferam ex variis Authori-  
bus opiniones :

**S**pondanus ad annum 1456. Nro. 6. ita habet :  
*Capistranus defuncto Hunjade, nunquam amplius ri-  
dere visus est, veluti, qui triumphante jam victoriæ  
collega ipse debita laurea privaretur. Demum, ut, qui in  
vita dilexerant se, in morte non separarentur, & ipse in lan-  
guorem incidens, Corona donatus est X. Cal. Nov.  
Septuagenario major mortuus ad Vyllöckum (Vilak)  
in agro Sirmienfi. Cujus corpus centum circiter post  
annos cum capto per Turcas Sirmio, in Szöllösianum  
delatum fuisset, ab impio Francisco Perényio, direpto  
Monasterio, pulsisque aut caesis Monachis, confractum,  
& indignis modis profanatum, in profundum puteum  
projectum est. Hæc de translatione Corporis S.  
Capistrani ad Nagy-Szöllös confirmat Pr. Am-  
brosius Podiebradsky, olim Provinciæ SS. Sal-  
vatoris Minister Provincialis, qui anno 1672. lo-  
cum Monasterii in Nagy-Szöllös antea existen-  
tis, & puteum lustravit ruderibus, & lapidibus  
oppletum, quem evacuare incauso opere & mo-  
limine adgressus fuit. Memoriam hujus atten-  
tatæ perquisitionis ad posterios transmisit Pr. A-  
mandus Hermann in suo præclaro opere typis  
dato*

dato Coloniae 1700. inscripto: Capistranus triumphans. Similia habet Istvánfius Lib. 20. Postquam enim Francisci Perenii, viri principis, Catharinæ conjugis, & liberorum captionem in arce Szöllösi, rerumque omnium direptionem per milites Ferdinandi Regis enarrat, subjungit: *Fuere, qui existimarent Franciscum ab irato Numine ea calamitate merito punitum, quod Corpus Capistrani, sanctitate celebratum, capto per Turcas Sirmio, a Monachis in Szöllösiano Monasterio reconditum, direpto eo, pulsisque Monachis aut cæsis, confractum, & indignis modis profanatum, in profundum puteum projici jussisset.* Hinc minus credibile redditur, ait Waddingus in Annal. Tom. 12. nov. edit. fol. 414. *quod aliqui comminiscuntur, nimirum: Turcas capto Vyllökö (Vilak) ductum cum honore Corpus reverenter apud se retinere: neque pretio ullo, quantumvis per Oratores ad hoc ipsum Constantinopolim missos rogarentur, reddere voluisse, dicentes: adhuc se timere ab homine, per quem tantam cladem acceperunt, & malle in sua potestate honorifice habitum ab injuriis continere, quam inimicis reddere, qui suam perniciem concitarent.*

Est hæc conjectura Waddingi non tam improbabilis est, ut ipsi videtur: Antiquissima traditione in Sirmio vigente, & a majoribus accepta, & confirmata narratione hominum 90. ætatis annum excedentium, & ante medium seculi elapsi fato functorum, alseverantium, se a suis progenitoribus accepisse, qui corpus S. Joannis a Capistrano tam in Szabacs, quam Belgradi viderunt, & deosculati sunt, illud ad

Monachos ritus Orientalis non unitorum devenisse, redemptum a Turcis pretio enormi. Percrebuit fama garrula circa annum 1738. 39. Corpus incorruptum S. Joannis a Capistrano extare in Claustro Calugerorum Oppovæ (\*) qua ductus Tribunus unius Legionis equestris Ordinis redux Belgrado, collecta ex insidiis Legione, simulata mente, & tecto consilio, voluit in mox dictum Claustrum irrumpere, & corpus Beati occupare. Sed in vanum ceserunt conatus, populo colono plurimo congregato, & armis vulgi munito, parato vim vi propulsare, si quid Tribunus cum suo milite attentaret. De hoc attentato a Tribuno, exstat testimonium fide dignum D. Georgii Kurtzveil eo tempore Irregini Proviforem agentis. Plura similia habentur *in monumentis*, certitudine non vana veteri traditioni inhaerentia testimonia. Volunt alii Corpus S. Joannis Capistrani adservari in Monasterio æque Ord. S. Basilii Græcorum non unitorum in Krussetal, alii in Claustro Schifatrovcsi, sub nomine ficto alicujus Sancti Ecclesiæ Orientalis; sed veritati hic litare quis audet? Sed sub quocunque nomine occultetur Capistranus, dicere de eo queo.

Seu Tibi de cœtu sapientum nomen adhæsit,

Nomen fecerunt seu loca sola Tibi.

Seu tribuit nomen patris Clymenia proles,

Conveniunt vitæ nomina cuncta Tuæ.

Hymnus

(\*) Famofum Monasterium in Sirmio, non procul Irregino.

Hymnus a Devoto, Joanni Capistrano  
decantatus.

Cantemus Socii jam nova cantica!  
Elegit Dominus dum nova classica,  
Servus, qui Domini prælia gesserat,  
Hostes sub cruce strayerat,

Hic est, a puero qui bene prælia  
In corpus proprium duxit atrociam,  
Hic nec blanditiis cesserat, aut minis  
Recto a tramite Numinis;

Hic vir, pro galea, justitiam tulit,  
Hic scuto fidei noxia depulit,  
Loricam dederat mens bene conscia,  
Mundanæ lucis insciam,

Sic victo prius hic hoste domestico,  
Externos superat robore cælico,  
Vincens hæreseos pabula lurida  
Per verba fata vivida;

Vicit criminibus dedita corpora,  
Solvens in latices saxea pectora,  
Moyse e scopulo quod prius efficit,  
Hic e cordibus elicit;


Vicit, sub labore salvificæ Crucis,  
 Denas Myriades Odrysi Ducis,  
 Quam semper coluit, quam docuit Crucem.  
 Hac hostem domuit trucem.


JESU! da famuli pro meritis Tui,  
 Longæva Austriacum pace Thronum frui,  
 Fac! ut grande Tuum sit timor hostibus,  
 Nomen dulce fidelibus.

Pro Coronide, subjicio Elogium, quo Pr.  
 Matthæus Raderus S. J. Sanctum Joannem Ca-  
 pistranum veneratus fuit.


Hic Franciscæ! tuus miles tua signa per orbem  
 Nominis ingenti cum pietate tulit.  
 Nunc inter promachos sine telo tela repressit,  
 Et Cruce percussit signa inimica Crucis.  
 Alea damnata est flammis, talusque, latroque,  
 Totaque chartarum plaustra cremata focis.  
 Si purgare juvat monstris feralibus orbem,  
 Mitte Capistranos, cerberus ipse tremit.

*Deo ad Laudem, Divo ad honorem,  
 Nobis in fructum.*











Tentamen put.

hinc et

6324 to

Gesellschaft. 33. Jg.

B9017-<sup>Dm</sup>3

XV

760218

760218

